

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
MORBI
AC SYMPTOMATIS
NOTIONE VERA.

QVAM
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS
ET
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM
PRAESIDE
PRORECTORE FRIDERICIANAE MAGNIFICO
DOMINO
FRIDERICO CHRISTIANO IVNCKERO

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE
HVIVSQVE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO
PAEDAGOGII REGII AC ORPHANOTROPHEI HALENSIS
MEDICO PRACTICO CONSTITUTVO

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE CONSEQUENDIS

D. XIV. IVLII A. R. S. C¹⁰I¹⁰CCLIX.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

CAROLVS OTTO STEGEMANN
DORPATO - LIVONVS.

HALAE

BXCVD^EBAT IOANNES CHRISTIANVS HENDEL.

БІЛГОД
ВІГА ПІДЧИХОД

СЕРСКА МОСКОВСКА

І ДІПЛОМАТИЧНА

ФРІДЕРІКІ ЧІРНІЧО НІДЕРЛАНДІ

І СІДІЛІ САДІ

V I R O
PERILLVSTRI EXCELLENTISSIMO,
GENEROSISSIMO
D O M I N O
A X E L H E N R I C O
BARONI DE BRVININGK
DOMINO HAEREDITARIO FUNDORVM ET PRAEDIORVM
RANDEN, WALGUTA, WRANGELSHOFF, HELLENORM,
SAMHOFF ET TENNASILM
CONSILIARIO PROVINCIALI ET STATVS PRAESTANTISSIMO
EQVITI ORDINIS ST. ANNAE MERITISSIMO

N E C N O N
V I R O
GENEROSISSIMO ET PRAESTANTISSIMO DOMINO
D O M I N O
ALEXANDRO REINHOLDO
DE E S S E N
TORMENTORVM BELLICORVM DVCI
DORPATENSIS ET PERNAVIENSIS DISTRICTVS
RERVM OECONOMICARVM PRAEFECTO

P A T R O N I S E T M A E C E N A T I B V S
D E V O T I S S I M A M E N T E A E T E R N V M V E N E R A N D I S

HOC QVALECVNQVE
SPECIMEN IN AVGVRALE
CVM VOTO DEVOTISSIMO
PROSPERITATIS ET FELICITATIS CONSVMMATISSIMAE
SE SVAMQVE FORTVNAM
TANTIS MAECENATIBVS
COMMENDATVRVS
D. D. D.
CAROLVS OTTO STEGEMANN.



DISSE^TAT^O IN AVGVRALIS MEDICA
DE
M O R B I
AC SYMPTOMATIS NOTIONE VERA.

§. I.

Introitus.

Quod vitium plures scientias deturpat, summus nempe, vel in ipsis earum principiis, dissensus, id nec nostra, quod dolendum, Medicina effugere potuit. Notiones sanitatis, morbi ac symptomatis adeo sunt in Medicina graues atque foecundae, vt iis nequeat carere medicus, eorumque

A 3

vſu

vsu umquam supersedere. Quantum vero in his a se inuicem recedunt medici! Quanto dissensui praebuerunt ansam! Credidi tamen, non adeo difficulti opere fieri posse, vt, quod hanc rem spectat, veritatem assequamur. Nata exinde est praesens Dissertatio, quam iudicio B. L. submitto.

§. II.

Perfectio C. H. in quo consistat?

Quam maxime vero in hac tractatione opus est, vt rem paullo altius repetamus, ne quidquam admittatur, quo seduci possemus. Primum itaque, quod morbo inesse cogitamus, *imperfectio est corporis humani*. Nemo non enim morbum ea ratione concipit, vt imperfectiorem corporis humani statum inuoluat; atque, licet dentur morbi, quibus contra metuenda mala defenditur corpus, qui ergo ad perfectionem C. H. conspirare videntur, tamen, si hi ab *omni* imperfectionis macula liberi essent, iniusta ipsis ratione morbi imponeretur nomen. Omnes idcirco morbi corpus humanum imperfectum esse ponunt, ea tantum in re diuersi, vt his minor, illis maior, istis minima adhaereat imperfectio. Quid vero C. H. imperfectio sibi vindicat? Quanam in re consistit? Ut id patesiat: perfectionem C. H. adumbrare vtile erit; nam, vt linea recta curuae norma assumitur, sic status imperfectus e perfecto dimetiri potest. Nunc autem rebus finitis *perfectio* tribuitur, quando cum fine, ad quem assequendum productae sunt, quam optime conspirant; quo signi

significatu molae, horologio aliisque similibus perfectionem assignamus. Qui ergo de C. H. perfectione recte iudicare sibi proposuit, eum *fines* huius corporis nouisse oportet.

§. III.

Finis corporis humani quadruplex. Primus.

Corpori autem humano quadruplex praescriptus est finis. *Primus* hac definitur ratione. Cum anima & corpus humanum, viuo homine, arctissimum inter se commercium alant, vt mutua semper ratione in se inaicem influant: sequitur ex ista harmonia, posse corpus humanum bona malaue, tam physica, quam moralia mentis, secum coniunctae, producere iamque praesentia augere. Atque quam pulcre id obseruatio suadet! Cognitio humana a sensibus incipit, qui passim corpori debentur; eorum ergo auxilio & ope memoria demum, ratio, intellectus reliquaeque mentis facultates recte euoluuntur atque perstant. Bene quoque constitutum corpus mira mentem laetitia & voluptate, suis limitibus circumscripta, afficere solet, neque illam, quantum in ipso situm, seducit adque vitia procluem reddit. Sic ergo C.H. bona tam physica, quam moralia mentis producit atque auget. Saepe interea ab ista virtute deflectit corpus, vt viideas male ab eo animam affici; quod dolores, anxietates, deliria, furores venerei, & innumera alia, quatenus a corpore pendent, satis possunt vnumquemque docere, qui vellet ea de re dubitare. Quae cum ita sint, atque ab eo, qui machi-

machinam humanam construxit, cogitari nec possit, nec debat, *sibi illum* malum proposuisse finem: sequitur, corpus humanum ideo paratum esse, ut bona mentis humanae efficiat, augeat.

§. IV.

Secundus C. H. finis.

Corpus humanum, vi cohaesionis, neruea & musculari praeditum; a stimulis variis internis externis excitatum; solidis variae naturae, fluidisque, singulari ratione mixtis, instructum, esculenta potulentaque recipit, coquit, praeparat, inque naturam humanam commutat; nocua expellit; perdita restituit; caussis morborum resistit; morbos varios tollit, atque semet ipsum, admirando partium viriumque consensu & conspiratione, conseruat. Stupenda haec machinae nostrae indoles ostendit, finem corporis humani in eo etiam consistere, ut semeripsum, conspirante passim anima, conseruet, idque tam retinendo sanitatem, quam praecauendo & tollendo, quae ipsi aut accident aut accidere possunt, aegritudines. Quodlibet enim bonum, ad quod praestandum res quaedam apta inuenitur, tamquam eius finis considerari potest. Verum sanitatis & vitae conseruatio, cui praestandae, ad tempus certe, corpus humanum par est, bonum sine dubio dici debet.

§. V.

§. V.

Tertius C. H. finis.

Monet vel ipsa natura, generis humani propagacionem non infimum locum inter eos tenere fines, ob quos Creator cum anima corpus coniunxit. Ab hominibus enim nascuntur homines; innatae sunt atque insitae vtrique sexui animi propensiones, quas postulat hominum propagatio; summo erga prolem feruntur homines amore; corpus deum ipsum sic fabrefactum est, ut, concurrente anima, propagando generi humano inseruire queat. Nonne haec omnia suadent, voluisse Creatorem hunc, quem diximus, finem? Iniurii certe essentius erga ILLVM, si crederemus, dedisse Eum nobis tot tamque magnas propensiones, quas expleri noluisset.

§. VI.

Quartus C. H. finis.

Denique, mediante corpore humano, actiones exse-
quuntur homines, quae externae sunt, quorsum motus mus-
culorum voluntarii spectant. Conseruatio sanitatis; iussa
animi; officia publica, priuata, ad quae obligamur, istas
actiones postulant. Quibus ergo exserendis destinatum esse
corpus humanum, nemo facile, credo, dubitabit.

B

§. VII.

§. VII.

Summa C. H. perfectio quid postulet? exponitur.

Summa itaque corporis humani perfectio requirit, vt
1) aptum id sit, ad fines, quos diximus, exsequendos; id-
que 2) eo gradu, eo ordine, ea duratione, eo tempore atque
ea voluptate, quae, praescripta esse corpori humano, obser-
uatione discimus. *Facultas* ea efficiendi, quae fines C. H.
requirunt (§§. III. seqq.), numquam, in *summa* eius perfe-
ctione, deficere debet. Quamvis enim facultas, genus hu-
manum propagandi, infantibus puerisque denegari debeat:
quis tamen est, quin sciat, infantes puerosque, sanos alias,
ad summam C. H. hominumque perfectionem adspirare mag-
is, quam esse eam iam adeptos? Minime vero opus est,
vt perfectissimum corpus humanum *omnes* suos fines, *quo-*
uis tempore *vere* adimpleat; sufficit, quoad *nominulos*, sola
facultas, licet *quofdam*, generatim consideratos, *semper* adi-
piscatur necesse sit. Conseruatio vitae & sanitatis, si perfe-
ctum exstiterit corpus, semper imperatur atque perstat;
actiones vero externae (§. VI.) atque eae, quae propagando
generi humano inferuiunt, non semper, in sanissimo licet &
perfectissimo corpore, adsunt. In his ergo sola facultas suf-
ficit, eo eas tempore, quod naturae leges dictitant, exferen-
di. *Gradus* etiam actionum, in definienda C. H. perfec-
tione, attendi debent, quos Natura praescripsit. Etenim suis
sunt actiones humanae circumscriptae limitibus; *ultra* eos
pro-

progredi aequi minus licebit, ac *infra* eos subsistere. Neque omitti plane debet earum *ordo*. Si corporis auxilio ideae quidem, sed inordinatae, sed rebus externis non respondentes, in anima suscitantur, quis de corporis imperfectione dubitabit? *Duratio* porro actionum attentionem meretur, cum C. H. ita a Natura factum sit, ut constantia quadam, obseruatis & experientia optime definienda, suas perficere possit actiones. Neque demum *voluptatis sensus*, qui actiones hominis integri comitari solet, aut certe doloris, anxietatis & aliis ingratae sensationis defectus negligi, in hac disquisitione, debet. Ingratas quasuis sensationes, naturali impulsus horrore, natura humana fugit, auersatur & propulsare annititur; documento, quidquam, quando obtinent, corpori inhaerere, quod eius fini atque perfectioni repugnat.

§. VIII.

Imperfeccio corpor. humani.

Quare imperfeccio corporis humani aderit, quando
 a) *vel* finis quidam, qui impetrari per id debebat, *eius vi-*
tio non impetratur; v. g. si vis nervea aut muscularis elan-
 guescit. b) *vel*, quod maius est, corpus, sibi *relictum*, quid-
 quam perficit, fini suo plane contrarium; v. g. quando plus
 destruit semetipsum, quam conseruat; γ) *vel* demum finis
 quidem definitus per id impetratur, non recte tamen, sub-

B 2

que

que ipsis conditionibus, quas postulare summam C. H. perfectionem, diximus §. anteced. n. 2.

SCHOL. Vix opus esse iudico, hic monere, nos de *interna* C. H. tam perfectione, quam imperfectione loqui. Quae enim *externa* est, a Medico non adeo curatur, neque eius disquisitio, in determinanda morbi notione, utilis est. Quare etiam id, quod, sub imperfecto corporis statu, huic illius eius fini repugnat, quodque proprie efficit, ut C. H. sit imperfectum, *interna* illius conditio esse debet.

§. IX.

Quaenam C. H. imperfectio in morbo adsit? determinatur.

Non queuis corporis humani imperfectio sufficit, ut *aegrotare* id dicere queamus, quod vel ipso puerorum infantumque exemplo constare potest, qui, non obstante necessaria corporis imperfectione, sani esse possunt aque morbo liberi. Ut ergo patescat, quaenam, sub aegroto corporis humani statu, eius imperfectio adsit? iuuabit, quasdam huius species stabilire. Datur imperfectio corporis, quae legibus Naturae adeo exacte responderet, ut, non nisi ludens Natura, quod raro etiam fit, ab ea deflectere obseruatur. Hanc *naturalem* voco; in infantibus, ut exemplo utar, obseruabilis est, *numquam morboſa*. Datur alia, *non naturalis* dicenda, desciscens omnino a Naturae legibus, hisque minime ad amissim respondens, eminentiori potius in gradu ad morbos disponens, ita tamen comparata, ut corpori, sibi relicta,

relicta, numquam noceat, quid? quod certo respectu necessaria sit. Huc imperfeccio spectat, quae v. g. temperamenti debetur. Neque haec *morbosa* est, adque constituendum statum aegrotum sufficit, cum a natura humana vix separari queat. Datur denique, quae *praeternaturalis* dicitur, finibus corporis humani plane contraria, eos, sibi etiam relicta, plus minusue tollens atque impediens, qualis est plethora, spissitudo. Atque haec cuicunque morbo inest non solum, sed sufficit quoque, ut hominem aegrotare dici queat, licet etiam morbus, quo detinetur, minimus vixque obseruabilis sit.

§. X.

Aegrotare quid sit?

Aegrotat itaque C. H. quando ipsi conditiones insunt *praeternaturales* (§. antec.), per quas tolluntur & praependiuntur fines, ei *praescripti*. Cae*u*t tamen existimes, has conditiones seu imperfectiones *praeternaturales omnes morbum* dici posse. Monuit id iam *Illiustr. LV DWIGIVS* (*Institutt. Patholog.* §. 918.). *Complexus*, inquit, *omnium eorum, quae in aegroto corpore praeter naturam eveniunt & obseruantur, ab aliis multis morbus dicitur.* Hinc non tantum morbus *ipse*, sed & *causae & accidentia eius, confusa simul perspecta, ab imperitis & forte nonnullis medicis assumuntur & nomine quodam recepto, saepius vago & obscuro insigniuntur; ex qua confusa corporis, morbo affecti,*

consideratione, nulla huius vera dijunctio elicetur. Notio itaque morbi suis magis limitibus circumscribi debet.

§. XI.

Sanitas quid propriæ sit?

Tria corpori aegroto, qua tali, insunt, quorum diueritatem veteres iam proposuerunt; *morbus* nempe ipse, eius *caussæ & symptomata*. Omnia haec imperfectionem quandam redolent. Morbus autem contradistinguitur sanitati proprie ita dictæ, illius caussæ sanitatis caussis, symptomata morbi effectibus sanitatis obseruabilibus. Quare omnium optime definiri potest, quid sit morbus? si antea constiterit, quid sanitas proprie dicta sibi velit? Nunc vero in corpore sano deprehendimus 1) partium tam solidarum, quam fluidarum eas conditiones, quae actionibus minus obseruabilibus exferendis atque finibus corporis humani adimplendis parés sunt. 2) Actiones harum partium manifestas & per sensus obseruables, quae miro consensu & conspiratione se inuicem conseruant ac fulciunt, atque eas ipsas, quas diximus, solidarum fluidarumque corporis humani partium conditiones, illarum actionum scaturigines, sustentant, cauentque, ne demum intereant. 3) Physiscas, mechanicas & chemicas partium qualitates, quarum ope modo conditiones istae (n. 1.), modo actiones descriptae (n. 2.) producuntur & adjuvantur. Vltra haec progredi non licebit, nec plura generatim, in sano corporis humani statu, momenta cogitare.

Quod-

Quodnam ergo inter ea *proprie* sanitatem nominabimus? Minime certe *tertium*. Ista enim qualitates, qua tales, *causae* quidem sunt illius, quod sanitatem dicimus, minime vero sanitas ipsa. Sic grauitas sanguinis causa quidem erit sanitatis: quis vero eam sanitatem ipsam, aut eius particulam dicet? Requiritur ad sanitatem; eius vero essentiam non constituit. Neque in eo, quod *secundo* loco diximus, momento sanitatis proprie consistit. Etenim possunt nonnumquam istae corporis actiones, quae sensibiles perque sensus obseruabiles sunt, satis integrae videri, licet sanitas vere, neque semper minimo in gradu, laesa deprehendatur. Sic qui vomica pulmonum laborant sanissimi nonnumquam esse videntur. Quare cum actiones corporis humani, quae sensus incurruunt, *integrae* interdum inueniantur, quamuis sanitas laesa iam sit: sequitur, essentiam sanitatis his in actionibus consistere non posse. Quoniam ergo nec in secundo, nec in tertio momento quaeri debeat: reliquum est, ut statuamus, *sanitatem* proprie consistere in complexu omnium internarum conditionum partium corporis humani, per quas finibus suis explendis corpus illud par redditur.

§. XII.

Notio morbi.

Morbus itaque C. H. erit eiusmodi interna partium C. H. viuentis conditio, qua id his illisue finibus recte adimplendis impar redditur. *Vulnus, plethoram, spissitudinem*

humo-

humorum, debilitatem &c. nominamus morbos. In omnibus vero deprehendimus internas modo solidarum, modo fluidarum partium conditiones, quibus sit, ut hi illue huius corporis fines minus re^{ete} adimpleantur. Congruit haec morbi definitio fere cum ea, qua usus est G A V B I V S (*Institutt. Pathol. medic.* §. 34.). Nam *status ille*, inquit, *corporis humani viuentis, quo fit, ut actiones homini propriae, non possint apposite ad leges sanitatis exerceri, morbus dicitur.* Fines enim corporis humani per actiones impetrantur, legibus sanitatis conformes, seu aptas ad constitutos fines re^{ete} assequendos. Nolui autem *actionum* vocabulo utri, ut caueatur nempe, ne quis *manifestas* solum huc referat (quod fere fieri plerumque solet), utpote quae integræ, laesa iam sanitate, videri possunt (§. anteced.).

§. XIII.

Quinam veri sint morbi?

Notum est, medicos solere morbos in *simplicissimos*, *simplices* & *compositos* diuidere. *Simplicissimi* dicuntur, quorum essentia unica conditione praeternaturali absoluitur v. g. rigiditas, plethora. *Simplices* vocantur, qui plures quidem, sed ex simplicissimis proxime constantes, mutationes praeternaturales sibi vindicant v. g. obstructio, orgasmus. Qui demum ex simplicibus originem suam sumunt *compositi* nuncupantur v. g. tussis, epilepsia. In his, nempe compositis, determinandis, fere semper actiones solum, manifesto laesas, atten-
dunt

dunt Medici; non perpendentes, actiones, aperte a statu sanitatis recedentes, morbum non ipsum constituere (§. XI.), eius potius *effectus* existere. Sic *tussis* ipsa nominatur morbus; at enim vero id phaenomenon, quod proprie *tussim* nominamus, actionem tantum laesam, nempe respirationem, concernit; indigna ergo, quae morbi nomen mereatur (§. XI.). Non nisi *effectus* est morbi, conuulsionis scilicet muscularum, in - & exspirationi inferuentium. Quare morbi *compositi* non nisi eo respectu *morbi* nomine digni sunt, quatenus e simplicibus constant; neque, ut vulgo dijudicantur, veri sunt morbi. Simplicissimi contra ea dicti atque simples eo nomine solum digni censerit & possunt, & debent (§. anteced.). Fere ita iudicanit G A V B I V S (l. c. pag. m. 199. §. 417.). Morbi, inquit, *compositi spectantur potius, vt totidem diuersae symptomatum concursiones, ac, pro more Systematicorum, ad Pathologiae specialis eam sectionem, quae de symptomatibus singulatim agit, commode relegantur.*

§. XIV.

SYDENHAMI de morbo sententia dijudicatur.

Dicitur, inquit SYDENHAMVS, *ratio, morbum, quantumlibet eius caussae humano corpori aduersentur, nihil esse aliud, quam Naturae conamen, materiae morbificae exterminationem, in aegri salutem, omni ope molientis.* Nunc quidem, de *compositis* magis id morbis SYDENHAMVM affirmasse, vel cuicunque legenti appetet; idemque

C

pestis,

pestis, quae adduxit, & arthritidis exempla comprobant. De simplicissimis atque simplicioribus enim morbis concessisse fere videtur, eos naturae conamina salutari non posse, cum hi ipsi morborum compositorum exstent caussae, quas humano corpori aduersari innuit. Numquid vtrumque satis bene stabilitum ab optimo Viro, obseruationibus tamen magis, quam ratiociniis claro? Dantur certe morbi compo-
siti, in quibus nulla materia exterminanda v. g. qui ab immateriali caussa solum proficiscuntur, quale quid non raro in epilepticis obseruatum; dantur alii, in quibus Naturae conamina assumi vix possunt, quorsum paralyseos tot species referantur necesse est. Quod simplicissimos & simplices spectat: inter eos nonnulli, passim certe, ut eiusmodi Naturae conamina considerari possunt, veluti spasimus; aliis contra ea praestans illud recte denegatur nomen v. g. laxitatem. Sed plura hac de re iam monuit GAVBIVS (l. c. §. 51.).

§. XV.

Notio morbi a BOERHAAVIO proposita.

Dixit BOERHAAVIUS: *omnis humani corporis conditio, quae actiones vitales, naturales, vel & animales laedit, morbus vocatur* (Aphorism. §. I.). Hanc *absolutam* morbi definitionem nominat *Perill.* v. SWIETEN in Comment. ad h. I. Non potest tamen, quantum video, pro *absoluta* haberri. Ut enim de eo nil dicam, quod *laesione* vox quan-
dam inuoluat obscuritatem, non nisi tunc euanescensem,

quan-

quando ad fines corporis humani attenditur: his, credo,
Boerhaavia morbi definitio premitur difficultatibus. 1) vi-
tae mentio in ea facta non est, qua tamen opus erat, ne
morbus confunderetur cum morte. 2) dantur conditiones
quaedam corporis humani *externae*, quae, licet has illasue
functiones laudent, non sufficiunt, ut morbus assumi queat.
Si quis v. g. morosus factus sit, sine etiam corporis labe, mo-
tus musculares debilius, difficilius, non sine incommodo ex-
ercet. Hominem hunc morbo laborare dici nequit, nisi con-
stiterit prius, vitium hoc corpori deberi. 3) Actiones istae,
quas nominat *BOERHAAVIVS*, non adeo infrequenter illaesae
apparent, licet morbus adsit; quale quid (ut simplicissimos
& simplices morbos mittam) in vomica pulmonum laboranti-
bus, interdum accidere, supra iam monui. 4) morbi com-
positi non veri sunt morbi (§. XIII.); ex *BOERHAAVII* au-
tem sententia eo nomine non sunt indigni.

§. XVI.

De latitudine sanitatis.

Nolo iam pluribus definitionibus, quas de morbo
suppeditarunt Medici, dijudicandis inhaerere, cum nimis fa-
cile sit, earum vitia ex stabilita vera morbi notione (§. XII.)
eruere. Redeunt praeterea ad ea fere, e quibus morbi de-
finitionem composuit *BOERHAAVIVS*. Saepe etiam functio-
num imperfectionem morbum dixerunt Medici, *signum*, e
quo morbi praesentia diiudicatur, cum morbo ipso confun-

C 2

den-

dentes, quod, quam parum cum veritate consentiat, supra dicta satis docere possunt. Verum enim vero restat, ut de sanitatis latitudine quaedam differantur, id est eiusmodi statibus C. H. internis, qui, licet ab imperfectione non liberi sint, nondum tamen morbi dicuntur, & ad quos GALENS in notissimo loco iam respexisse videtur, quando dicit: *non enim absoluta est, nec indivisibilis simul, quae est & dicitur sanitas, verum etiam quae ab hac deficit, modo adhuc usibus nostris non sit inepta.* Sub ea sanitatis latitudine comprehenduntur 1) imperfectiones C. H. quas supra *naturales* & *non naturales* diximus (§. IX.). 2) imperfectiones *praeternaturales*, quatenus *vel* non manifesto, *vel* leuius fines C. H. tollunt atque praepediunt. Sic acrimonia humorum, pustulas varias faciei efficiens, *manifesto* quidem hominem afficit, seque palam declarat; nisi tamen reliquas actiones, quas oportet hominem exferere, turbet, morbis minus, *quam cauſis praeſponentibus* adnumeratur (*Illuſtr. LUDWIGII Therap. gener. §§. 1420. 1421.*). Multo autem magis hisce ſolum cauſis ea accenſetur acrimonia, quae ſenſibus per ſua non cognoscitur ſigna. Nunc, quod imperfectiones corporis humani tam *naturales*, quam *non naturales* ſpectat, iure de his negatur, poſſe eas morbis accenſeri (§. IX.). Praeternaturales autem, licet in media, ut vidimus, vita ad cauſas potius, quam morbos ipsos nonnumquam referantur, recte tamen veri morbi in Pathologia iudicantur, ſi modo reliquis morborum

borum gaudeant conditionibus (§. XII). Qui enim in his conditionibus & imperfectionibus variis obseruantur gradus, essentiam earum non tollant, manentque ideo veri morbi, quamuis, cum quilibet morbus aliorum seminum sit, ad causarum quoque morbificarum censum referri queant, debentque. Quae caeterum de hac sanitatis latitudine dixi, ostendere inter alia possunt, quare tot Medici, in definiendis corporis humani morbis, ad functionum imperfectionem sere solam attenti fuerint. Cum enim in vita media homo non nisi tunc *aegrotare* dicatur, quando manifestae functionum laesiones apparent; Medici quoque multi *aegrotare illud cum ipso morbo* (qui tamen pars tantum est status morbos), signaque morbi cum illo, quod proprius morbus est, confuderint: fons istius erroris satis lucide apparet, paterque, in omni quidem morbo (qualem homines vulgo assumunt) aperte functiones laedi, hanc ipsam tamen functionum laesionem morbum ipsum dici non posse, cum eius potius effectus existat. Neque dici deberet, illam morbi, quam reprehendo, notiōnem ideo laudem mereri, quod adeo vocabuli usui, in vita media comprobato, respondeat. Philosophi enim est, eos vocabulorum significatus reiicere, qui erronei sunt, licet usu loquendi stabiliri videantur. Quod vel Philosophorum exemplo corroboratur, qui corpora substantiis non adnumerant, licet vulgo id fieri soleat.

§. XVII.

Symptomatis praedicata.

Sed missa iam facta morbi notione: ad eam *symptomatis* accedo, quod ad morbos non raro referunt Medici. Ante vero quam, falso id fieri, ostendo: iuuabit, notionem symptomatis ex iis eius praedicatis stabilire, quae, credo, nemo facile negabit. Omne symptoma ponit 1) *mutationem praeternaturalem* (§. IX.). Quidquid enim statui sanitatis ineft; quidquid etiam ad corporis tam naturales, quam non naturales imperfectiones (§. cit.) refertur, numquam symptoma vocatur. Laesa contra ea respiratio, agrypnia, frigus, in extremis perceptum &c. symptomata nuncupantur; quae autem omnia mutationem quandam corporis praeternaturalis sibi vindicant. 2) *per sensus obseruabilem*. Quando a plethora, validius sese attrahentibus sanguinis particulis, spissitudo humorum nascitur: validior illa attractio, licet praeternaturalis sit mutatio, symptoma vocari non solet, cum, sibi relictā, per sensus non cognoscatur. Obstructio contra ea aluina, diarrhoea, sudor profusus symptomata dicuntur, cum sensuum auxilio immediate cognosci possint. 3) *pendentem a statu morboſo*. Status morbosus, praeter morbum, cauſas etiam morbi huiusque symptomata inuoluit. Quoniam nunc symptomata in symptomata morbi, cauſae morbiticae, & symptomatum recte diuidi solent: sequitur, ea pendere a statu morboſo. Sic pulsus celeritas & frequentia

sympto-

symptoma febris vocatur, quod a morbo, quem febrem dicimus, pendet; sic vomitus biliosus variorum morborum, quorum *causa* est effusa in primas vias bilis, nuncupatur symptoma; sic denique cephalalgia, orta a laesa in morbis respiratione, symptoma est, licet ab alio symptomate, laesa nempe respiratione, pendeat. *Symptoma* itaque erit mutatio corporis praeternaturalis, sibi etiam relicta sensus incurrens, pendens a praesenti statu morbo. *Dixi praesenti*; quod enim ultra morbum durat symptoma, praeteriti symptoma amplius non censemur.

§. XVIII.

Symptomata ad morbos referri non possunt.

Solent nonnulli Medici ad morbos symptomata referre; cum alii, ea huc *nunquam* reuocari posse, censeant. Vtrumque, si quid ego iudicare valeo, erroneum. *Possè* id quandoque, ut morbus, considerari: exemplo patebit. In hydropicis non adeo raro accidere solet, ut cutis partes que affectae, pre nimia expansione & distensione, cui amplius resistere non possunt, crepaturam patiantur. Haec *disruptio* verum erit symptoma. Nam sensibilis est ac praeternaturalis corporis mutatio, pendens a statu morbo. Nonne vero ea ipsa simul, tamquam morbus, considerari potest? Erit certe verus morbus, si definitio morbi, supra tradita, vera iudicatur. Interea non *omne* symptoma morbis accensi poterit. Color cutis in iis, qui ietero laborant,

mu-

mutatus verum est icteri symptoma. Quis vero dicet, hunc ipsum colorem flauum esse morbum? Sic etiam functiones laesae dicuntur symptomata, veris autem morbis accenseri non debent, ut supra ostendi. Quare cum symptomata existant, quibus morbi nomen recte assignari non potest: sequitur, *symptomata generatim ad morbos referri non debere.*

§. XIX.

Morbus symptomaticus a symptomate differt.

Morbus symptomaticus indigitare potest 1) morbum verum, ab alio, in corpore praesentem, ortum. Sic debilitas vasorum dici posset morbus symptomaticus, quando a plethora, serositate humorum &c. oritur. 2) Symptoma, quod morbus est (§. anteced.). 3) morbum compositum, qui ab alio morbo composito pendet; e. g. epilepsia mensibus suppressis accedens. Cuicunque autem significatiu faueas: symptomatis & morbi symptomatici differentia manifesta est. Quodsi enim *primum* assumere placuerit: non omne symptoma poterit esse morbus symptomaticus, neque, cum raro morbi sensuum ope innotescant, omnis morbus symptomaticus verum symptoma (§. XVII.). Quod *secundum* spectat: quaedam quidem symptomata, minime vero omnia, morbi essent symptomatici. Quoad *tertium* demum: *nec* omne symptoma esset morbus symptomaticus, *nec* omnis morbus symptomaticus verum symptoma. *Prius* assumere non potest: cum symptomata inter morbi occurrant, mini-

me

me compositi, v. g. solutio continuæ in cute (§. ant.). Neque etiam *posteriorius*: cum non omnes morbi compositi, ab aliis compositis produciti, symptomata sint. Sic phthisis pulmonalis non raro a compositis morbis e. g. malo hypochondriaco enascitur; at enim vero phthisis pulmonalis symptoma dici nequit. Quare ex dictis appetet, quandam debere morbum inter symptomaticum & symptoma differentiam statui.

§. XX.

Duplex symptomatum species.

Reuocarunt Medici quaevis symptomata ad actiones laesas, vitia excretorum & qualitates sensibiles alienatas, usi diu iam nota aque Veteribus iam assumta eorum diuisione (GAVBIUS I. c. §. 119. 654.). Quod actiones laesas & alienatas qualitates sensibiles attinet: vera non solum sunt, sed etiam a se inuicem manifesto distincta, symptomata. Sic vomitus symptomata est, sed respicit actionem corporis humani laesam. Color cutis & oculorum flauus nigerue in ietericis non minus verum constituit symptomata. Proprie tamen dici nequit, colorem cutis sic depravatum laesam esse actionem; qualitatem potius sensibilem corporis alienatam inuoluit, ad que eam reduci potest. Minus vero bene his tertia symptomatum species adiecta est, sub qua vitia excretorum continentur. Non nego, *vitia excretorum* vera esse symptomata;

D

ta;

ta; possunt tamen modo ad laesas actiones, modo ad sensibiles qualitates alienatas reduci. Quando enim eiusmodi vitia occurrunt: actio saepe ipsa, qua excernuntur, laesa est; sicuti id valet, quando diarrhoea, sudor profusus, diabetes & similia obtinent. Interdum quidem actio ipsa non adeo est laesa, ut potius, in se considerata, satis bene procedat; tunc vero excreta ipsa quidquam sensibile docent, quo a sano se recessisse statu declarant v. g. sudor foetidus. Omnia ergo symptomata, hoc respectu, commode ad duas reduci possunt species, neque vitiis hic excretorum opus est. Reliquis vero symptomatum diuisionibus recensendis superfedeo, cum nil, quod singulare sit, quoad eas, notandum veniat.

§. XXI.

E p i l a g u s .

Videri posset, ac si notiones morbi ac symptomatis, quas hucusque limae subieci, non possint non practicam horum statuum tractationem turbare. Cum enim symptomata, nisi urgentia fuerint (id est vel aegro maximum creant incommodum, vel vitae periculum inferunt, vel demum impediunt, quo minus adhibita medendi methodus & usurpata remedia in aegri usum cedant), tolli non debeant medela, exacte & immediate symptomatis destinata: omnino hinc colligi posse videtur, rem non adeo, quoad Praxin, esse adia-

adiaphoram, quando cum morbis symptomata confunduntur & v. v. Interea vel ipsa experientia docere potest, Medicos, in Praxi satis felices, vagas eiusmodi morbi & symptomatis notiones amplecti. Vnde nam hoc? Inde preeprimis credo, quod Medici, ut plurimi homines facere solent, non ex theoria, cui fauent, sed ex aliis principiis agunt. Hinc alias quoque videmus, falsissimam non solum, sed etiam, si in se spectetur, maxime nociuam quorundam theoriam aegris non nocere, cum (laudes sint DEO) theoria eorum cum praxi minus conueniat, haec potius, quod in summam eorum laudem cedit, per experientiam determinetur atque obseruationes. Caeu tamen, hinc concludas, superuacaneam esse atque inutilem harum rerum indagationem. Rationalem Medicum (qualem quiuis semetipsum agnoscit) decet, suas ita instruere actiones, ut theiae respondeant, hanc itaque perfectam absolutamque reddere quemuis oportet. Ut iam de eo nil dicam, quod Medicinae theoria, pars Philosophiae, tradi debat ita, ut demum accuratissima euadat atque perfectissima.

T A N T V M.



12. ALEX. SHOTON. ETIADOTI. 12. 12. IN ROMA.

12. ALEX. SHOTON. ETIADOTI. 12. 12. IN ROMA.
12. ALEX. SHOTON. ETIADOTI. 12. 12. IN ROMA.
12. ALEX. SHOTON. ETIADOTI. 12. 12. IN ROMA.
12. ALEX. SHOTON. ETIADOTI. 12. 12. IN ROMA.
12. ALEX. SHOTON. ETIADOTI. 12. 12. IN ROMA.
12. ALEX. SHOTON. ETIADOTI. 12. 12. IN ROMA.
12. ALEX. SHOTON. ETIADOTI. 12. 12. IN ROMA.
12. ALEX. SHOTON. ETIADOTI. 12. 12. IN ROMA.
12. ALEX. SHOTON. ETIADOTI. 12. 12. IN ROMA.
12. ALEX. SHOTON. ETIADOTI. 12. 12. IN ROMA.
12. ALEX. SHOTON. ETIADOTI. 12. 12. IN ROMA.
12. ALEX. SHOTON. ETIADOTI. 12. 12. IN ROMA.
12. ALEX. SHOTON. ETIADOTI. 12. 12. IN ROMA.


12. ALEX. SHOTON. ETIADOTI.

Ua 4711



Slb.

1



DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
MORBI
AC SYMPTOMATIS
NOTIONE VERA.

QVAM
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS

ET
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM

PRAESIDE

PRORECTOR FRIDERICIANAE MAGNIFICO

DOMINO

FRIDERICO CHRISTIANO IVNCKERO

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE

HVIQSVE PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO

PAEDAGOGII REGII AC ORPHANOTROPHEI HALENSIS
MEDICO PRACTICO CONSTITUTVO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE CONSEQUENDIS

D. XIV. IVLII A. R. S. CIOCCCLIX.

PUBLICE DEFENDET

AVCTOR

CAROLVS OTTO STEGEMANN

DORPATO-LIVONVS.

HALAE

EXCVDEBAT IOANNES CHRISTIANVS HENDEL.

